Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1247

Quelle:
Copyright:

Lelandus, *Baleus*, *Pitseus*, *Labbeus*, *Petr. Lucius*, *Whartonus*, *Fabricius* et dictus *Tannerus*, qui Operum ejus Catalogum texunt, *Compendium* nostrum *Venetiis* typis procusum esse adfirmant; nemo tamen annum aut formam prodit.

II. *fol.* 119. Propositiones XXIV. *Gerardi Groet* sive *Magni Daventriensis*, qui abdicato Canonicatu *Ultrajectino* et *Aquisgranensi* Clericorum *Vitae Communis* in patria institutor obiit 1384. contra Clericos Concubinarios. Initium: *Quoniam circa materiam notoriorum fornicatorum. ego Magister Gerhardus groet dyaconus dixi et scripsi aliqua. que et dico et dicturus sum et volo quod pateant manifeste. ne qui calumpniancium. et vias domini rectas odiencium qui alioquin non desunt, me quecunque aliter dixisse aut scripsisse quam dixi aut dicturus sum mendaciter confingant. Ideo cupio ea vniuersis palam fieri et omnes scire que in hac materia intendo defendere.* Et subjunctis pluribus adseverationibus et Adversariorum provocationibus: *Primum dictum meum est. quod quicunque presbiteri suspensi, excommunicati, interdicti, depositi ac degradati vel si scismatici et heretici fuerint, dummodo credant et intendant sacramentum conficere ac consecrare, et dummodo materiam et formam debitam ecclesie obseruent, vera et indubitata et illibata dant conferunt et conficiunt sacramenta* &c. Propositiones contra *Fornicatores Clericos* primum ab *undecima* incipiunt, quae sic sonat: *Inter omnes ministros malos maxime in bijs cauendi sunt iuxta premissa fornicatores notorii, seu sint notorii per propriam in iudicio confessionem, seu per sententiam iudicis* &c. Brevis Epilogus ita finit: *Scriptum quoddam de bijs pro parte confectum conscribam perfectius, vt omnes similiter videre possint ramos cum radicibus.* Scripto hoc illud designari putem, quod in variis Bibliothecis existens post alios *Belgii* Bibliographos memorat *Foppenius* P. I. p. 355. titulo *De Focariis*, quo nomine Clericorum Ancillas sive Coquas olim venisse, multis exemplis docet *Ducangius* in *Glossar.* Nostrarum vero *Propositionum*, quod sciam, nemo meminit. Itaque ineditas censeo, et ad *Foppenii* votum *l. cit.* edendas offero. Crabrones sibi utroque hoc Scripto *Gerardum* excitasse, liquet ex *Epistola ad Episcopum Trajectensem pro Magistro Gerardo Groot, quando erat ipsi interdictum, ne publice praedicaret.* Extat ea ad calcem *Vitae* ipsius a *Thoma de Kempis* conscripta inter hujus *Opera* edit. *Colon.* 1728. P. III. p. 31. 4. Atque in ea expresse dicitur: *Verumtamen eidem Gerardo procurantibus, ut praesumitur, Clericis et Presbyteris* focarias *habentibus, per vestras literas sine causa vel causæ cognitione exercitium prædicationis indirecte interdictum est. — Inde exultant inimici Ecclesiæ Clerici* focaristæ